

infidelium, vel ne comburatur, potest a non jejuno sumi.

XVIII. Quoad secundam partem conclusionis dicimus, quod in pollutione considerantur duo; aut culpa mortalis, si fortasse intervenit in illa; aut corporalis illa fœditas, vel distractio mentis inde relicta, etiamsi sine peccato acciderit. Quoad primum impedit pollutio communionem, sicut alia peccata mortalia, id est, quamdiu non fuerit peccatum illud pœnitentia deletum, et confessum: quoad secundum etiamsi pollutio peccato careat, aut etiamsi quis culpam illius fuerit confessus, habet specialem indecentiam, tum propter impuritatem, tum propter distractionem mentis. Hæc tamen non de necessitate impediunt communionem, sed de decencia; relinquendumque est confessoris arbitrio, ut ipse decernat, an expediat

sic accedere; et sic cum humilitate et subiectione omitti debet communicatio, vel non omitti. Si non magna urgeat necessitas, aut festus dies, melius est abstinere pro illo die, quam communicare.

XIX. Advertendum est, quod quando diximus supra, amentem qui lucida habet intervalla in illis communicare posse, etiam posse communicare dum est in amentia, si prius habuit usum rationis cum affectu et dispositione ad hoc sacramentum, ut sentit S. Thomas quæstione LXXX, articulo VII. Et idem est de energumenis seu dæmoniacis. Solum volumus dicere, quod tam in istis, quam in aliis, et in quibuscumque adultis, non sit periculum irreverentiæ; tunc enim deneganda est communicatio, et hæc pro regula habenda est.

QUÆSTIO LXXXIII.

DE SACRIFICIO MISSÆ:

I. In quæstione LXXXII agit S. Thomas de ministro, resolvitque in primo articulo, proprium esse sacerdotis consecrare istud sacramentum, quia solum illi datur potestas supra corpus Christi. Resolvit in secundo, plures sacerdotes simul posse eandem hostiam consecrare, ut patet in ordinatis, qui simul cum episcopo eandem consecrant hostiam; ad quod dicit Innocentius III, quod intentio omnium debet ferri ad idem consecrationis instans. In tertio, solum ad sacerdotem pertinere hujus sacramenti dispensationem: quod patet tum ex facto Christi, qui in cœna corpus quod consecravit ipse, aliis sumendum dedit; tum ex eo quod ad tangendum hoc sacramentum, propter ipsius maximam reverentiam, requiritur consecratio; solum autem manus sacerdotis consecrantur, unde nulli tangere licet, nisi in necessitate, ut si caderet in terram, verbi gratia. In quarto, asserit teneri sacerdotem consecrantem hoc sacramentum sumere, quia simul est sacrificium; quicumque autem sacrificium offert, debet illius fieri particeps. In quinto, quod etiam malus sacerdos consecrare potest, si quidem ei, quantumvis peccator sit, non aufertur character, seu potestas in ordine sibi data. In sexto, non minus valere missam mali sacerdotis, quam boni, quantum ad rationem sacrificii, non vero quan-

tum ad fructum seu efficaciam quam habent orationes, quæ in missa dicuntur ex devotione sacerdotis. In septimo, posse etiam hæreticos, schismaticos et excommunicatos consecrare, quia in eis remanet character, licet non licite possint. Idem etiam propter eandem rationem asserit articulo VIII, de degradatis. Tandem in nono resolvit, non licere sacerdoti omnino a celebratione cessare, sed teneri saltem in præcipuis festis. Reprehenduntur enim II Macch. IV, qui jam non circa altaris officia, cum essent sacerdotes, dediti erant, contempto templo, et sacrificiis neglectis, Apostolusque hortatur II ad Corinth. VI: *Ne in vacuum gratia Dei recipiatur.*

II. Celebrationem sacramenti eucharistiæ, quæ sacrificium est, nomine ritus hujus sacramenti S. Thomas appellat. Et primo agit de eo quod pertinet ad substantiam sacrificii, ostendens articulo primo, quod in hoc sacramento Christus immolatur: hæc enim est substantia sacrificii: deinde in reliquis articulis agit de accidentibus et circumstantiis illius, scilicet de tempore quo celebrandum est, de loco, de dictis seu orationibus, quibus celebratur; de factis seu actionibus, quæ in illa celebratione fiunt; et tandem de defectibus, qui possunt occurrere in hac celebratione, et quomodo supplendi sunt.

DISPUTATIO XXXII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

I. Rem hanc, quia multum moralis est, ita dividemus per articulos, quod in quolibet articulo plura dubia excitabimus, ut ea quæ moralia sunt, facilius expediamus, præmittendo tamen in priori et secundo articulo ea quæ pertinent ad essentiam et valorem hujus sacrificii, quæ aliquid amplius de metaphysica disputatione continent.

ARTICULUS I.

Quid sit sacrificium in communi, et quale sit in lege nova?

I. Dari sacrificia tam evidens et notum est omnibus, quam notum est dari apud omnes nationes, et fuisse semper aliquod nomen religionis, et cultum seu venerationem protestativam divinitatis, sive veræ, sive falsæ. Ut enim inquit Augustinus XIX contra Faustum: « In nullo nomen religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Et quidem apud veri Dei cultores frequentissimum est in sacris litteris sacrificii nomen, non solum in lege veteri, sed etiam ante legem, in sacrificiis Abrahæ et Noe: imo et in ipso mundi initio in sacrificio Abel et Cain; ut proinde recte Augustinus epist. XLIX, quæst. III dixerit: « Intelligendum est, quam antiqua res sit sacrificium, quod non nisi uni vero Deo offerri debere veraces et sacræ litteræ moment. » Inter cultores autem dæmonum et idolorum, etiam immolatio-

nes et sacrificia vigerunt, existimantes illo genere cultus non nisi divinitatem et numen aliquod religiose coli. Ideoque ut dicitur Actor. XIV: *Cum sacerdos Jovis vellet sacrificare Paulo et Barnabæ, existimans esse similes diis, exclamaverunt ipsi: Viri quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines*, quia scilicet judicabant actionem sacrificandi esse singularem protestationem ipsius divinitatis; quæ fuit ratio ut dæmones tam sollicitè ambiunt sacrificia sibi fieri, et animalia immolari ab hominibus, quia, ut recte dixit Augustinus lib. X de civitate, cap. XVI: « Dæmones non cadaverinis odoribus, sed divinis odoribus gaudent. » Quare notissimum est, nomine sacrificii intelligi proprium cultum debitum ipsi divinitati; ideoque inter præcipuos actus religionis numeratur a S. Thoma 2-2, quæst. LXXXV. His suppositis quæritur primo, in quo consistat formaliter sacrificium, et pro quo directe supponat.

II. Circa quod tres sunt sententiæ principales. Quidam dicunt consistere in genere signi externi, atque adeo in genere relationis, quia dicit Augustinus V de civitate cap. V: « Quod visibile sacrificium signum est invisibilis sacrificii: » et X de civitate, cap. V inquit: « Quod sacrificia in quadam significantia offeruntur. » Et sacrificium de se est quædam protestatio divinæ excellentiæ, et subjectionis ad ipsam: quæ protestatio aliquo signo fieri debet. Et S. Thomas 2-2, quæst. LXXXV, articulo primo probat esse de lege naturæ offerre Deo sacrificia, quia naturale est homini aliquibus signis uti offerendo illa Deo in signum debitæ subjectionis et honoris.

III. Alii existimant sacrificium consistere in actione, quatenus res aliqua per aliquam actionem immu-

tatur et consumitur in honorem Dei; ut quando occidebatur animal, vel consumebatur victima in signum subjectionis ad Deum, talis mactatio vel consumptio dicitur sacrificium; quod prima sententia non negat, sed dicit istam actionem materialiter et præsuppositive se habere in sacrificio; formaliter vero constitui per illam protestationem significativam divinæ excellentiæ, quam significationem non negat secunda sententia, sed judicat materialiter se habere ad sacrificium, id est, ex parte materiæ, seu rei oblatæ, quatenus offertur Deo id quod est protestativum divinæ excellentiæ. Sicut quando regi offertur tributum in signum subjectionis, illa significatio tenet se ex parte rei exhibitæ, formaliter vero est illa actio, qua traditur et exhibetur tributum; et similiter in sacrificio, quod est tributum divinitatis, a creatura formaliter exhibetur Deo per actionem quæ est religionis cultus; ex parte autem rei oblatæ datur illa significatio subjectionis.

IV. Tertia denique sententia affirmat, sacrificium neque esse formaliter in genere relationis ut signum, neque esse in prædicamento actionis ut immutatio; sed formaliter esse in prædicamento qualitatis, quia formaliter est actus religionis; religio autem est in voluntate, et actus voluntatis pertinent ad qualitatem, sicut et alii actus immanentes. Et licet exterius exercentur per aliquam actionem immutativam, tamen hoc materialiter se habet in actu humano, quia actus humanus exterior pertinet formaliter ad speciem actus interioris, id vero quod externum est, solum materialiter se habet. Sacrificium autem inter actus religionis, quæ est virtus moralis, numeratur a S. Thoma loco citato.

V. Nihilominus dicendum est, sa-

cificium posse dupliciter considerari: uno modo in genere actus moralis, sicut aliæ actiones bonæ, ut eleemosyna, oratio, jejunium, etc. alio modo in genere ejusdem cæremoniæ religiosæ, qua colitur Deus et fit protestatio divinæ excellentiæ. Primo modo est in genere morali actionis procedentis a religione: secundo modo est in genere morali signi, seu relationis ex institutione seu placito significantis subjectionem nostram ad Deum. Comparando autem istas duas formalitates, et rationes inter se, hæc secunda se habet materialiter, seu ex parte materiæ in sacrificio; prima autem formaliter: ideoque simpliciter loquendo, sacrificium est in genere actionis religiosæ sicut adoratio et votum, et oblatio decimarum; quæ omnia numerat S. Thomas inter actus externos religionis 2-2, quæstione LXXXIV. Ratio autem specifica moralitatis, tam in actibus internis quam externis, non consistit in genere qualitatis, sed respectus et ordinis ad objectum morale, ut diximus in tractatu de bonitate et malitia actuum humanorum; quod vero actus voluntatis et intellectus sint in genere qualitatis, hoc pertinet ad rationem physicam, non ad speciem moralem illorum actuum; et ita impertinenter ponitur formalis ratio sacrificii in genere qualitatis, etiam in quantum actus moralis est, quia actum illum esse qualitatem, pertinet ad id quod physicum est in actibus humanis (quod utique materialiter se habet) non ad id quod morale est.

VI. Tota hæc resolutio sumitur ex S. Thoma. Nam in primis in quæstione LXXXV citata, articulo III, docet: « Quod sacrificium est quidam specialis actus laudem habens ex hoc quod in divinam reverentiam fit; propter quod ad determinatam virtutem pertinet (scilicet ad reli-

gionem») ubi fatetur S. Thomas sacrificium pertinere ad genus actus moralis, seu virtutis. Quod vero sit actus exterior religionis; patet tum, quia S. Thomas ibidem in principio quæstionis LXXXIV dicit, considerandum esse deinceps de actibus exterioribus latriæ, ut adoratio, sacrificium, etc. Et in quæstione LXXV sequenti dicit: « Quod considerandum est de actibus, quibus aliquæ res exteriores Deo offeruntur. » Et primum est sacrificium, de quo agit ibi; tum, quia in articulo tertio ad tertium inquit: « Quod sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quod animalia occidebantur, et panis frangitur, et comeditur, et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat, nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo aliquid sacrum facit. »

VII. Et ratio manifesta videtur, quia sacerdotium et sacrificium sunt correlativa, et ubicumque repertum est sacrificium, repertum est et sacerdotium, ut docet Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. I. Sacerdotium autem est potestas offerendi et consecrandi, ut ibi dicitur; sumiturque ex Paulo ad Hebr. V, ubi inquit: *Quod omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat sacrificia pro peccatis*: ergo si sacrificium est proprium correlativum sacerdotii, et sacerdotium est potestas consecrandi et offerendi, oportet quod sacrificium sit aliqua actio consecrativa et oblativa, quia omnis potestas directe datur ad aliquam actionem; et tunc dicimus fieri sacrificium, cum aliquid sacrum fit in honorem et cultum Dei.

VIII. Nec potest instari: Quia etiam sacerdos est minister sacramentorum, et tamen sacramenta formaliter non consistunt in actio-

ne, sed in signo rei sacræ. Respondetur enim, quod sacerdotium per se et directe non requiritur ad sacramenta, cum possent vera sacramenta fieri a non sacerdotibus; sicut matrimonium fit a contrahentibus, et baptismus potest conferri a laico; sed sacerdotium directe constituitur per ordinem ad sacrificium. Voluit autem Christus eos qui sunt sacerdotes facere ministros aliquorum sacramentorum, propter aliquas sacras functiones quibus conficiuntur.

IX. Secunda pars conclusionis, quod sacrificium ex parte cæremoniæ sacræ et religiosæ consistat in aliqua significatione, sumitur ex eisdem locis S. Thomæ. Nam in quæstione LXXXV citata inquit: « Quod naturale est homini quibusdam rebus sensibilibus uti, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem domini: » et articulo secundo inquit: « Quod oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum: significat autem sacrificium exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se offert Deo. » Et ratio istius est, quia per sacrificium non quilibet cultus offertur Deo, sed publicus, et cum aliquo mysterio sacratus. Unde non pertinet ad quemlibet privatum offerre sacrificia, sed ad potestatem sacerdotalem, quæ publica est, et auctoritatem habet in Ecclesia et republica; ideoque sacrificium correlativum est sacerdotii: ergo illa actio sacrificandi, in quantum publica et solemnitas est, et per aliquam religiosam cæremoniâ fit, oportet quod aliquid mysterii contineat, et aliquam protestationem subjectionis ad Deum; quod totum ad rationem significationis pertinet. Neque est novum in istis rebus moralibus pertinere ali-

quid ad duplicem speciem, dummodo una se habeat essentialiter et principaliter, alia accidentaliter et accessorie, ut constat in multis actibus humanis.

X. Tertia denique pars conclusionis probatur, supponendo prius duplicem significationem distingui ab auctoribus in sacrificio; alteram moralem, alteram mysticam. Moralis est, quæ significat actum interiorem, quo ipsa anima se offert Deo, eo quod in actibus humanis exterior actus representat et significat interiorem; mystica, quia est significatio alicujus rei sacræ, vel alicujus mysterii supernaturalis ex impositione et beneplacito ejus, qui instituit sacrificium; sicut antiqua sacrificia representabant Christum ejusque passionem; et nostrum sacrificium representat sacrificium crucis, aliosque effectus pertinentes ad Christum. Unde talis mystica significatio non convenit sacrificio ex sola natura rei, id est, ipsius actus moralis externi, sed ex beneplacito instituentis sacrificium; et quando significat mysterium aliquod divinum, significatio illa supernaturalis est, nec potest convenire sacrificio ex natura rei. Ex quo sequitur manifeste, quod ista mystica significatio non est de essentia et quidditate sacrificii, quia sacrificium est de lege naturæ, cum sit naturaliter debitum Deo supremum honorem illi deferre, qualis est in sacrificio: ergo in ista supernaturali significatione potest reperiri vera et formalis quidditas sacrificii in pura lege naturæ. Quod si invenitur mystica significatio, erit materialiter et per accidens, quatenus illa materia quæ offertur Deo in cultum, elevatur et imponitur a Deo ad significandum aliquid supernaturale.

XI. Ex his probatur tertia pars conclusionis, quia sacrificare est idem quod sacrum facere, quate-

nus exteriori actione offertur Deo debitus cultus supremi honoris in immutatione alicujus rei; hoc autem salvatur posita actione externa morali oblativa illius cultus, sine hoc quod sit in genere signi primo et per se, non minus quam aliæ actiones morales: ergo formaliter sacrificium non consistit in genere signi, sed in genere actionis moralis. Minor probatur, quia si formaliter et per se primo esset in genere signi, vel esset in genere signi moralis, vel mystici et supernaturalis. Si primum, non recedit a genere actionis, neque primo et per se constituitur in genere signi, ut patet manifeste in aliis actibus moralibus externis, qui simpliciter ponuntur in genere actionis, verbi gratia, actus fortitudinis vel justitiæ, licet ex ipsa natura rei, hoc ipso quod est actus externus humanus, significet et representet interiorem; sed hoc est ex consequenti, et generaliter convenit actui externo. Si secundum dicitur, constat illam significationem non esse de ratione sacrificii, quia salvari potest verum sacrificium sine tali mystica significatione, ut in pura natura; sed si id convenit sacrificio, erit accumulative et materialiter, quatenus Deus imponit et elevat naturam illius sacrificii ad significandum aliquod mysterium supernaturale, vel homines id faciunt ex instinctu Dei.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Objicies: Sacramentum primo et per se constituitur in genere signi: ergo et sacrificium. Consequentia patet, quia in tantum aliqua actione fit sacrificium, in quantum fit aliqua cæremonia religiosa in cultum Dei, tamquam protestativa divinæ majestatis; sed ex eo

sacramentum simpliciter ponitur in genere signi, licet fiat per aliquam actionem, quia illa actio est cæremonia religiosa cum significatione rei sacræ: ergo eodem modo sacrificium simpliciter erit in genere signi ob eandem rationem. Secundo, quia sacrificium dicit aliquid sensibile factum in honorem Dei; sed nihil sensibile potest pertinere ad cultum Dei, nisi aliquid sacrum significet: ergo per ipsam rationem signi ultimate et formaliter constituitur ratio sacrificii. Minor probatur, quia actio externa materialiter sumpta (verbi gratia jugulatio arietis aut vituli) eodem modo fit ab occidente, et a sacrificante, quantum ad actionem externam sensibilem; et primo modo non habet rationem sacrificii, quia non fit in signum honoris: ergo esse in signum est ratio ultima formalis et differentialis sacrificii. Denique ad hoc faciunt auctoritates D. Augustini et S. Thomæ supra relatæ: « Quod sacrificium visibile est signum invisibilis sacrificii: et quod sacrificia in quadam significantia offeruntur. » Et quod dicit S. Thomas: « Convenire homini uti sensibilibus signis ad significandam subjectionem debitam divinæ majestati; et tale est sacrificium: » ergo sacrificium formaliter est signum.

XIII. Ad primum negatur consequentia; ad probationem redditur disparitas inter sacramentum et sacrificium; quod sacramentum est aliquid ordinatum ad cultum Dei, et ad reddendum illi debitum honorem et subjectionem; res autem sensibilis non potest sanctificare nos ex vi actionis suæ, sed ex aliqua elevatione et impositione divina ordinante rem illam ad id, quod supernaturale est in nobis: unde sacramentum non sequitur rationem actionis, sed divinæ impositionis et elevationis. Voluit autem

Deus imponere sacramenta ad significandum, et signis illis sensibilibus nostram sanctificationem subijcere et alligare. At vero in sacrificio vice versa, nos offerimus Deo cultum tamquam inferiores superiori: et ideo sacrificium principaliter perficitur actionibus, quam impositionibus et significationibus, licet quod alias significatum est, possit etiam subijcere et offerre Deo, sed hoc tenet se ex parte materiæ oblatæ; sufficit enim ad sacrificium illa actio moralis offerendi, et significatio moralis quæ illam necessario concomitatur et sequitur.

XIV. Ad secundum respondetur, quod aliquid sensibile potest pertinere ad cultum Dei dupliciter: uno modo in quantum est actio humana et moralis, derivata ab interiori cultu et subiectione ad Deum, quam significat per modum actionis externi: alio modo in quantum est cæremonia quædam religiosa specialiter imposita ad aliquid sacrum significandum. Primo modo est formaliter et concomitanter, seu consecutive signum, in quantum omnis actio humana exterior est significativa interioris; secundo modo est formaliter signum, et materialiter potest esse actio, si id quod imponitur ad talem significationem actio sit; et ita occisio animalis, ut est actio destructiva illius præcise, non est sacrificium, sed in quantum est actio moralis procedens a virtute religionis in cultum Dei, sic est sacrificium; sed per hoc non extrahitur a ratione actionis moralis, licet concomitanter habeat rationem signi, ea generali ratione qua omnis effectus significat causam, et omnis actus exterior interiorem, a quo dimanat.

XV. Quod si instes: Quia hac ratione potius dicitur sacrificium consistere in qualitate, sicut dicebat

tertia sententia, quia actus exterior non dicitur moralis et humanus ratione ipsius actionis exterioris, sed ratione interioris actus, a quo denominatur, et ille qualitas est, respondetur quod actus exterior dicitur moralis, in quantum derivatur ab interiori moraliter, et non physice tantum; actus autem interior est qualitas entitative et materialiter consideratus. Dicitur autem moralis prout est regulatus regulis rationis, quia attingit objectum sic regulatum; actus autem exterior secundum quod denominative participat illam regulationem rationis dicitur moralis, non secundum quod procedit ab illo actu ut qualitas quædam est; hoc enim pertinet ad lineam generis entitativi et physici, non moralis.

XVI. Ad auctoritates S. Augustini et S. Thomæ respondetur, ipsos appellare sacrificium signum, ratione significationis moralis, non mysticæ. Significatio autem moralis competit consecutive vel concomitanter actui morali externo, prout derivatur ab interiori: non autem directe et per se primo dicit rationem signi; sed primario rationem actionis moralis directe et per se, et secundo significationem actus interni. Quod autem sic loquantur patet, quia Augustinus dicit, quod sacrificium visibile est signum sacrificii invisibilis; sacrificium autem invisibile est sacrificium spirituale, quod fit in anima per actus interiores, et significatur per exteriores. Idem expressius significat S. Thomas quæstione LXXXV citata, articulo secundo, dum inquit: « Quod oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum; significat autem sacrificium exterius, interius et spirituale sacrificium, quo anima se offert Deo; » hæc autem est significatio moralis respectu actus interni, et invisibilis: ergo de illa

loquuntur prædictæ auctoritates.

XVII. Ex dictis colligitur, quænam sit significatio in sacrificio, ad placitum, vel naturalis: item an sit privata, vel publica. Dicendum est enim quod quidquid pertinet ad significationem mysticam, vel ad cæremoniam religiosam, quæ aliquid sacrum significatur, est significatio ad placitum ex humana impositione dependens; quidquid autem pertinet ad significationem moralem, reducit ad signum naturale. Ratio est, quia ut actus exterior significet interiorem, non requiritur aliqua impositio facta a republica, sed sufficit quod procedat ab actu interiori, tamquam effectus illius; per quam dependentiam suscipit denominationem moralitatis, quatenus eisdem regulis rationis regulatur quibus actus internus a quo procedit. Significatio autem effectus ad causam, non est ad placitum, sed naturalis, quia naturaliter effectus a causa procedit. Diximus tamen reduci ad signum naturale, quia revera deficit aliquo modo a signis pure naturalibus, eo quod actus exterior solum quoad entitatem physicam procedit naturaliter a sua causa; in linea autem morali procedit moraliter ab actu interno, ut imperante et dirigente: tamen ista moralitas non est denominatio impositionis, quæ requiritur pro signo ad placitum; sed est moralitas regulationis, quæ potius reducit ad significationem naturalem, quia est significatio effectus respectu suæ causæ. Cæterum ad significationem mysticam vel cæremonie sacræ requiritur destinatio et impositio ad id significandum, quia neque ex sua natura illa actio sacrificandi, in quantum actio materialis est (verbi gratia occisio animalis) nec in quantum humana et moralis est præcise, habet significare mysterium aliquod, aut rem